

republicæ socium , & quidem omnium dignitate principem a Gallis violatum , bellique factum a Carolo initium in fœderatos : eosque homines , cum intra fines imperii vel reipublicæ vel Ludovici venissent , a maleficio non temperaturos existimaret : præter id , quod in Gallia terrestrium copiarum comparabatur , decrevit , uti Antonius ea cum classe , quam civitas illis ipsis auxerat diebus , ad Saponem insulam accederet , ut in Apuliam trajiciendi , cum juberetur , mora ei nulla fieret : optimum enim esse statuerat , si Galli furere inciperent , ea etiam a parte illos laceſſere . Carolus , relicta Florentia , quæ se præſidiis firmaverat , Pisas , deinde Lucam venit . Pontifex , qui Perusiam erat profectus , equitibus quos a Venetis & Ludovico acceperat , reverti jussis , Romam rediit . Hæc dum agerentur , Aloisius princeps Genabensium , Astæ a Carolo relictus , Salassis adjuvantibus , tum e Gallia transalpina , atque ab Helvetiis milite celeriter accersito , vastatis Ludovici finibus , transmisso furtim Pado flumine , Novariam per proditionem cepit . Erat eo in oppido civis , cuius fratris fundos valde quidem fructuosos Ludovicus post ejus mortem dolo malo suorum cuiquam addixerat , ipso ad sepulcrum in judicium sisti jusso . Is fratnos ulciscendi manes studio , milites Aloisianos , reclusis bene mane portis , intra mœnia recepit . ita Galli apertius eodem tempore alterius regnum socii reipublicæ invadere , ac priores bellum gere cœperunt .

Illis ipsis diebus Patres consulto Senatu decreverunt , uti quina millia Italorum equitum nova conscriberentur : bina millia ex Epiro Græciaque præter illos , qui imperati jam erant , accerserentur . Francisco autem Mantuanorum principi Senatusconsultum prius in annos quatuor renovatum est , stipendiaque uberiora constituta . tum scriptus una Rodulfus ejus patruus . scriptus etiam ante eos quidem menses Guidus Ubaldus Feltrius , qui regnum in Metaurensibus obtinebat , cum equitibus quadringentis septuaginta . Illis autem diebus Hannibal Bentivolus Joannis filius cum quadringentis , & Paulus Manfronius Vice-